



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Marcellus Conf. 29. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

812 VITÆ SANCTORUM. 29. Dec.  
alteri è suis manum injici, jugulum de-  
inde præbet, cadit, & muneris sui ne-  
que post mortem oblitus, bene omni-  
bus è feretro dicit. O nunc iterum ali-  
quando THOMA, bene Angliæ tuæ præ-  
care. Ex Edwardo.

*Nihil in homine, cui curiositas profit,  
invenies. Frivola prorsus & inanis ac  
nugatoria consolatio: & nescio quid illi  
durius imprecer, quàm ut semper habeat  
quod requirit, qui jucunda quietis fu-  
gitans curiosâ inquietudine delectatur.*  
S. Bern. in sent.

S. MARCELLUS CONF.  
29. Decembris.

**A** Pameæ natus MARCELLUS patrum  
morte puer amisit. In puero tamen  
hoc miseri patrem suum invenerunt,  
cùm hereditatem omnem his cederet.  
Ephesi quoque quod scribendo lucellum  
sibi parabat, habebat cum egenis com-  
mune. Pòst verò Abbas certavit etiam  
cum Deo liberalitata. Sed cur hic ab  
homine vinceretur? Itaque cùm x.  
nummos, qui uni reliqui erant, omnes  
erogari in captivos nuper Episcopos jus-  
sisset, mox dono xc. talenta recepit.  
Succensuit nihilominus dispensatori,  
quòd uno retento nummo, scenus x. ta-  
lentis imminuisset. Taceo horreum va-  
cium

29. Dec. VITÆ SANCTORUM. 813  
cum mox frumento plenum, quod unis  
scilicet precibus suis MARELLUS  
conuexit: quas quidem quam acceptas  
haberet Deus, ille vidit, qui supplicem  
humo ab Angelis vidit attolli, & solis  
instar nitere. Porro corpora agrorum  
ita curabat, ut simul medicinam animis  
faceret. Quare Iudæus in morbum to-  
ties, quoties in perfidiam est relapsus,  
dum ludentem cum DEO & Divo mors  
castigavit. Jam cum Byzantium rubs  
tota flammis delenda esset, mediam  
servavit *Marcellus*, igne lacrimis ex-  
tincto. Cœnobium ipsius cum spoliare  
pararent milites, lux ingens hoc tege-  
re visa, in luce crux, è cruce verò tot  
fulmina, quot tela, quæ non jam ma-  
nus in prædam, sed pedes in fugam do-  
cuit prædones conijcere. Addo illud,  
cum Reipublicæ causâ Leonem Imp. adi-  
ret, honnoris causâ ab Angelis dedu-  
ctum esset, uti tam nobiles stipatores  
corporis monacho ipse puto Imp. invi-  
deret. *Ex Metaphr.*

*Homo qui natura donum, munus ani-  
ma, rationis beneficium, excellentiam  
sensus, artis industriam, cultura bonum  
per steriles actus evertit, mergit auctori  
fructum, cultori gratiam negat; sicut  
arbor è terra, sic iste è vitâ meretur exci-  
di. S. Petr. Chryf. serm. 106.*

S. EB-